

**JOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI**

543

Romanorum principum Li-  
ber secundus.



E Q V I T V R ab hinc etas,  
in qua mihi orbis totius clades,  
regnorū tristes exitus, impe-  
ria fuditus excisa, mutationes  
rerū frequentissimae referendae  
sunt: ut intelligat mortalitas ne-  
bilis esse inconstantius ijs, que tātōpere ut eterna mi-  
ramur. Adeo enim uitæ, fortunæq; ista bona, in quo-  
bus opinione vulgi sita sionma felicitas est, fragilia,  
caducaq; sūt, ut nūhil his esse possit cladibus, ruinisq;  
magis obnoxium, quod cū uetera illa Asie imperia,  
tum uero nominis Romani maiestas facile declarat:  
que felicibus auspicijs orta, letissimis rerum successi-  
bus aucta, uiris clarissimis instructa: quorum uirtute,  
ac consilijs, ad amplissimum fastigium sit euecta, legi-  
bus, institutis, Deum pietate illustrata: conciderit ta-  
men, & funditus euersa sit: ut quemadmodum illa  
de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nul-  
la ferè hodie in terris gens agat, aut antea fue-  
rit tam inumanis, tam barbara, quæ non aut au-  
tas iniurias, aut suas illi rependerit. Huc accessit,  
quod eorum deinde, qui sequentur, principum, para-  
tim

tim ignavia, partim avaritia, res adeò nostræ pessū  
iēre, ut ad rem Romanam sistendam, alienæ atq; ex-  
ternæ uirtutis eguerimus: adeò mascula illa Romuli  
proles, & Italica uirtus simud cum imperij lapsu cō-  
fenuerat: nec Romani postea pontifices ambitione  
plus q̄ immodica, pronam iam per se, in casum rē Ita-  
licam non funditus afflixere: dum studijs suis nunc  
Francos, nunc Germanos, atq; alios quoquis potius q̄  
Italicos principes patiuntur. Illi uero quantum Ro-  
manæ, atq; Italicae maiestati semper detulerint, uel  
illud argumento esse potuit, cum se Cesares, aut Au-  
gustos pro Hēricis, & Fredericis dici malint: cumq;  
se nūc Reges, nūc Romanorum imperatores ap-  
pellari gaudeant. Ceterū nec quarelæ locus hic est,  
& ipsa nostra hæc commētatio etiam nuda satis al-  
latura doloris, ac molestiae legentibus est. Quare  
Theodosium ipsum iuniorem aggrediamur.

## THEODOSIVS IVNIOR.

**Q**uinquaginta quot uixit annos, totidē impe-  
rio etiam præsul. Nam puerum admodum  
moriens Arcadius eum reliquerat sub tutela Isdi-  
gerdis Persarum regis: quod & bene ceſſit. Barba-  
rus enim rex & tutelā summa fide geſſit, & pacem  
cum Romanis, quo ad uixit, habuit. Is uero Honorio  
defuncto, Valentianum ex Constantio & Placidia  
natum, data Eudocia filia in uxorem, Romā perop-  
portuna

portune misit: cūm turbatæ res essent tyrannorum libidine, qui rem Romanam invaserant: sub hoc tertia synodus contra Nestorium celebrata, Pulcheriæ sororis prudentia: nēpe quoad illa est usus imperator, benares gesta. Hic uxorem Eudociam Leonis Atheniensis philosophi uxorem duxit: quæ præter egregiam formam, singularemq; pudicitiam, etiam literis excelluit, absoluto eo libro, cui titulū Græci ὅμηρον τρᾱ  
faciunt. Hoc principe Venetiæ felicissimis auxiliis medijs in aquis habitare cœpere, cūm Honorius adhuc uiueret.

## VALENTINIANVS TERTIVS.

**A**sseri fortasse in pristinū statum sub hoc princeps Romana potuit, si eius inceptis aut fortuna fuisse, aut imprudentia postea sua rem non afflixisset. Nam recepta sub aduentum suum Italia, cum Geneserico statim Vandilorum rege pacem sanxit, parte Africæ, ut uideri uoluit, contento: & aduersus Attilam Etiā ductu, rem feliciter gesit. Inde Maximi arte, viri per ea tempora potentissimi, Etium interimi iussit. Vnde in ultionem ipse postea Romæ ab eius commilitonibus confossum perijt. Hoc principe occidentis imperium, Francis Gallias, Anglis & Scottis Britanniam occupantibus, Vandilis Africam, & ipsam urbem populantibus, Hunnis Europam uectantibus & Italiam, collapsum funditus est. Pe-

546 IO. BAPT. EGNATII  
rijt imperij et etatis anno XXX.

De Etio pauca dicenda hic sunt. Hic è Dorostana  
Mœsiæ cum disciplina militari excelleret, Constantio  
defuncto, ab Honorio principe illi sufficitur: cuius  
ductu Attila in cäpis Catalaunicis uictus est, & Bur-  
gundiones repressi. Hunc postea Valentinianus cum  
interfecisset, interrogaretq; ciuem quempiam Roma-  
num, an iure occisum crederet: iure, an iniuria occide-  
ris imperator Etium nescio: illud scio, quod sinistra  
tua dextram tibi abscederis: nec falsus omnino uates.  
Nam eius morte Hunni rerum potiti, & imperium e-  
uersum est.

BREVIS ENARRATIO EORVM  
qui post Valentinianum Romæ rerum  
potiti sunt.

**P**ost Valentinianum Romæ Aultus senatorij uir  
ordinis præfuit, Auito inde Maiorianus quadri-  
ennio. Hunc Seuerianus, Seuerianum Anthemius, An-  
themium Liberius subsecutus: cui Glycerius, & Gly-  
cerio nepos statim succedit: quo per uim pulso, Au-  
gustulus malè ominati nominis rerum potitur: sub quo  
Romani maiestas imperij conuulta per Odoacrem  
Herulum serò admodum ad Francos redijt.

FLAVIVS VALERIVS MAR-  
tianus.

Nunc

**N**Vnc imperatores Cōstantinopolitanos, quā  
do illi tantum per illa tempora uiguēre, ad  
Constantinum usque Palæogum continua serie per-  
stringemus, initio à Martiano sumpto: qui licet hu-  
mili loco natus, militiæ tamen clarus, Pulcheriæ The-  
odosij sororis studio rebus præficitur, moderatus  
princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam  
diutius uiuere potuisset: nam pacem, quoad eius fieri  
potuit, coluit: illud sèpè usurpans, dum in pace esse  
possimus, arma non induamus. Is Tatianum, Iuliumq;  
fratres, qui olim aquila superuolantis eius caput  
auspiciūm retexerant, uiaticoq; ducentorum aureo-  
rum inopem, & ægrotantem adiuuerant: statim ut  
princeps est dictus, alterum Illyrico, alterum Constan-  
tinopoli præfecit. Hoc principe Chalcedonensis quar-  
ta synodus celebrata aduersus Dioscorum, & Eutychē  
Leonis Pontificis Romani iussu. Imperauit annos  
sex.

## LEO.

**P**RIMUS hic Græcanici vir sanguinis imperiū te-  
nuit, Asparis patricij factione adiutus. Cuius es-  
tiam filium Cesarem cum iniuitus creasset, postea cum  
Ardaburio fratre, ut insidiarum in se autores inter-  
fecit: Leonemq; ex Ariadna filia, & Zenone filium  
successorem sibi esse uoluit: s aduersus Gensericum  
Vandilorum regem Basiliscum ducem misit: qui,

548 IO. BAPT. EGNATII

si Zonaram sequare, uictus nauali prælio à Vandiliis  
aufigit, siue illud ignavia, siue proditio fuerit. Byzantia  
tum huius imperio magna ex parte conflagravit, præ  
terquam quod Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit  
autem annos XVII.

LEO IVNIOR.

**H**ic puer ab aeo relictus, cùm annum præfusa  
set, Zenoni patri manibus suis diadema impo-  
suit, patremq; pro se deinceps imperare iusit.

ZENO ISAVRICVS.

**Q**uam uarie rebus Romanis illuserit fortunæ  
quis, hic Zeno facile cum plerisq; qui explicant  
di mihi principes erunt, probet. Vir obscurissimi san-  
guinis, & cùm facie deformis, tum moribus planè ty-  
rannicis, ut Isaurum agnoscas. Hic Theodoricum Os-  
trogotthorum regem cùm unicè diligeret, in Italiam  
aduersus Odoacrem misit, Consulem prius à se factum.  
Pulsus uero à Basilisco factione uxorius, cum in Isau-  
riam concessisset, non multò post reuersus, & Basilia-  
scum expulit, quem & inedia mori coegerit, & annos  
XIII. tyrannum uerius quam principem egit. Sunt  
qui uiuum adhuc inclusum ab uxore sepulchro tra-  
dant, frustraq; resipiscerent, & opem queritantem  
obijisse. Hoc principe incendium adeo graue fuit, ut  
præter maximam urbis partem conflagratam, centum  
& uiginti librorū millia combusta sint: inter que &  
Homeri

Homeri poëma intestino draconis CXX. pedum au-  
reis literis descriptum.

FL. VALERIVS ANASTA=

sius Dicoros.

**D**icorum hunc cognomento Græci appellariūt,  
à discoloribus uidelicet oculorū pupillis, qua-  
rum dextra nigricans, sinistra cœrulea fuerit: inter  
bonos principes utiq; mili referendus, tametsi ab hu-  
mili loco ad imperiū euectus Ariadnæ Zenonis uxo-  
ris opera, nisi poste à mutatus, Eutychianæ hæresi ad-  
hesisset. Vnde illi aduersus orthodoxos graue, dissi-  
dium constatū. Bulgarorum arma tunc primum audi-  
ta, & Saraceni Alamundaro duce Syria graues incū-  
beant. Hic tyrannorum aliquot seditione fatigatus,  
post octagesimum & octauum uitæ annum, imperij  
uigesimum septimum, fulmine afflatus periit, ulciscen-  
te grauiter numine pietatem toties ab impuro prin-  
cipe uiolatam.

IVSTINVS.

**Q**uis credat Thracem hominem armentarium,  
& sues agentem, sine tribu, ignotis obscu-  
risq; parentibus ortum, & rebus præfuisse, & rem tū  
feliciter, tum optimè administrasse? Rexit tamen ille  
summa cum laude, & pietatis studiosissimus ucr. Ioz-  
annem Romanū Pontificem ad se legatū uenientem,  
& Theodorico Gotthorum rege pro Arrianis, quos

550 IO. BAPT. EGNATII  
expulerat Iustinus, restituendis uenerabundus exce-  
pit: & principatum dolo partum (quippe qui acceptā  
ab Amatio eunuco pecuniam, ut militi pro Theocri-  
tano præficiendo distribueret, in se suffragia uerte-  
rit) magna uirtute postea administravit: nono impe-  
rij anno Iustinianum ex sorore nepotem, cūm adhuc  
uiueret, sibi successorem instituens: quo factō, non mul-  
tō pōst obiit.

#### I V S T I N I A N U S .

**N**epos Iustino ex sorore, cūm annum quartum  
& XL. ageret, imperare cœpit: quod per an-  
nos unde quadraginta administrans, ueterem Romani  
imperij gloriam mirum in modum ampliavit. Primum  
enim Persas Bellisarij opera intra suos fines conti-  
nuit: inde eodem duce Romanā à Gotthorum seruitu-  
te afferuit: Africam imperio pulsis Vandilis restituit:  
Narsete duce Gotthicum tandem nomē deleuit. Bis tri-  
umphatū ex instituto ueterum Romanorū de Persis,  
& Vandilis à Bellisario: leges infinitis uoluminibus  
antea dispersas in L. digestorum libros contraxit. In-  
stitutionum libros quatuor edidit. Codicem inuulgauit.  
Maximus certè princeps, nisi auaricie, & delirij Eu-  
tichiani reus fuisset. Serici usus è Persis ad Grecos  
hoc tempore transiit iampridem desitus.

#### I V S T I N U S I V N I O R .

Hic

**H**ic æmulus Iustini, & ut filius à Iustiniano in regia semper habitus, facili admodum inge-  
nio, atq; ad promerendam ex liberalitate hominum  
gratiam nato fuit. Cum Persis pacē fecit, tributo, quod  
Romani annum bis expenderent, sublato. Langobar-  
di Germanica gens à Narsete indignato contra So-  
phiam in Italiam hoc principe irrupere: quam ab Al-  
boino rege ad Desyderium per CC. & IIII. annos in  
princi patus diuisam tenuere. Obiit graui pedum dolo-  
re, anno XI. imperij.

## TIBERIVS.

**T**iberius adoptatus à Iustino rem per septenniū  
foris satis feliciter gesit: domi summa cum pie-  
tatis et liberalitatis opinione: quod si quēadmodū Per-  
sis grauibus afflixit prælijs, sic aduersus Langobardos  
felix fuisset, nihil illo principe fortunatius. Obiit Mau-  
ricio genero successore declarato.

## MAVRICIVS.

**C**Appadocem hominem uirtus, & rei militaris  
scientia, partaq; eius ductu de Persis insignis  
uictoria, imperio facile imposuit: quod sub initia Per-  
sis uictis, Schytis afflictis, Langobardis repressis, &  
Hunnis è patrio solo in solitudines pulsis, feliciter  
administravit. Mox auaricie studens, cùm frustrā  
Phoce insidias, somnio etiam admonitus præcauif-  
set, dum miles stipendio fraudatus seditionis agit, ab

codem Phoca imperio & uita priuatur: cum imperasset annis XX. uixisset tres & sexaginta: eius etiam omnis prospicia sublata est. Turcaicū nomen tunc primum Asiae auditum.

## PHOCA S.

**A** Deò præcipites in malum homines agimus, ut Phocas nec Mauritij auaritia admonitus, adepto imperio per Mauritij cædem ab hoc uitio temperarit. Quin longè studiosius colligendæ undiq; pecuniae incubuit, & omnia ex Persice seruitutis instituto egit. Vnum in hoc homine laudes, quod Romanum pontificem principem omnium iure declaravit. Cetera adeò socors, & ignauus, & frequentibus adulterijs infamis: ut cum Romanum imperium undiq; Barbari uastarent, staretq; solum eius nominis umbra, conspiratum sit in illū ab Heracliona, & Heraclio, & Prisco: qui captum inertissimum hominem prius interficeret, quam ferre suspectas eius milites potuerint, omni stirpe principis impurissimi sublata.

## HERACLIVS.

**L** Abenti iampridē imperio, & prægrauantibus Persarum armis, Syria cum ipsis Hierosolymis expugnata. Heraclius accepto diademeate à Sergio Pontifice, primum omnium Persicum bellum parat: ad quos legatis antea missis pro inducijs impetrandis contemptim ab his habitus, adeò excanduit, ut differ

re amplius rem non potuerit. Responderunt enim im-  
pij hostes, non prius se Romanis pacē datus, quād  
CHRISTVM abnegasset imperator. Quare in-  
gentibus copijs in Chosroēm ductis, uictis eius sepe  
ducibus, & cum omnibus copijs cæsis: mox profiga-  
to Chosroē, Persideq; omni in ultionem nostram igni  
ferroq; uastata, lignum salutiferæ crucis recepit. Ce-  
lebris adhuc est Christianis dics festus argumentum  
uictoriae insignis, pacis uidelicet partæ, & Tigridis  
fluvij inter utrumq; imperium termini. Triumpha-  
tumq; egregiè cruce prælata. Imperauit Heraclius ana-  
nos XXXI. nouo morbi genere perijt, uirili membro  
semper ita distento, ut quoties meiceret, lotium uultume  
aspergeret, nisi obiecta tabula id prohibuisset. Credi-  
tum est, hæres eos Monothelitarum, in quam incide-  
rat, & nequitia supplicium luisse. Hoc tempore Sarac-  
eni Maomethe duce caput extulere. Quare breui-  
ter de eius ortu, & successu interim quædam perstrin-  
gamus.

## MAOMETHIS ORTVS.

**E**X Arabia constati ueterum scriptorū fide hoc  
malum orbi prodijt. Inde enim humili loco na-  
tus, dum locandis, conducendisq; camelis uictum que-  
rit, adolescens ingenij uafri, uiduæ domine nuptijs &  
opibus mox auctus, Sergium monachum nostratem  
familiarem habuit, cuius adiutus opera, cùm Christia-

nos & Iudeos accusaret: hos ut impios, qui summum prophetam excruciasserunt: nos ut simpliciores, qui de CHRISTO ridicula prodamus, paulatim latronum manum coegerunt, & diuinitate quadam inde sibi aucta, facileq[ue] leuisimo hominum generi persuasa, consilium armis addidit. Inde rerum successu prospere elatus, Syriam uastat, & Damascum regionis caput expugnat. Tum uero in Persas arma conuersa, quibus congressus, & primò uictus, reparandis copijs intentus, Scenitas sibi Arabas adiungit, gentem per ea tempora Romane militie assuetam: & que ob negata ab Heraclio stipendia, rebelles animos induerat. Sicq[ue] paulatim firmato imperio, & diuinitatis cuiusdam opinione persuasa, quam armis tuendam contra aduersantes praecepit, quadragesimo uitae anno, ueneno (ut aiunt) a domesticis dato periret. In quo homine nescio magis ne ingenij calliditatem admirer, an gentis eius stultitiam, an potius Christianorum principum socordiam: qui nec nascentem compremere flamnam (factu tunc facilè) uoluere, nec magnis postea rerum successibus auctam potuere. Unde labes illa iam ad hoc eui non Asiam solum, & Africam, sed magnam Europæ partem infecerit, ut iam de Christiana pietate tuenda in discrimen uentum sit.

CONSTANTINVS HERACLII.

Hic

**H**ic annum unum cum imperasset, recte ac ue  
ræ pietatis cultor, Martinæ nouercæ insidijs,  
que Heracleonæ imperium astrueret, ueneno tollitur.  
Illa uero cum imperium male partum cum filio uix bi  
ennio tenuisset, à Senatu cum decenni filio expellitur,  
amputata prius matri lingua, filio naribus.

## CONSTANS.

**C**onstans ex Gregorio & Constantino proximè  
relato proles rerum potitur, adnitete Senatu,  
qui Martinæ scelus execrabatur. Hic autem impietas  
tis heres, Martinum Romanum pontificem sibi ad-  
uersatem, comprehendendi iussum, in exilio mori coegerit.  
Cetera hominem non improbares, si impietatem &  
auaritiam demeres. Saracenis classe congressus, uictus  
ausfigit: quibus paulo post dissidio laborantibus, bi-  
ennij indicijs impetratis Italianam petijit, ut eam à Lan-  
gobardico iugo liberaret. Sed cum Romam uenisset,  
uictus à Langobardis acie, quicquid antiqui operis,  
signorum ue fuit, intra quintum diem inde sustulit:  
ut plus ornamentorum paucissimis diebus urbi de-  
traxerit, quambari per tot annos. Inde in Si-  
ciliam traiiciens, cum sextum ibi annum ageret, &  
quare, & crudeliter tributum exigeret, dolo suorum  
interficitur, postquam annos XII. ac XX. impe-  
rasset.

## CONSTANTINVS POGONATVS.

Meliæ

**M**eliore orbis fato Constantinus imperium excepit: qui maximus natura relictus à patre Byzantij, ut imperium administraret, audita eius morte, in Siciliam uenit: ultusq; Mizizium tyrannum, & cædis paternæ conscos, bellum aduersus Saracenos septem annos, terra mariq; feliciter gesit. Fatigati enim bello maritimo Arabes, quod ex Cizico à se capto, Byzantio singulis & statibus inferebant, maxime ignis miraculo territi, qui sub aqua arderet (Callinici inuētum) tempestate etiam graui oppressi, scire omnes periēre. Nec terra felicius res eorum administrata. Vixi enim una acie XXX. suorum millia amisere. Quare pax honestissima secuta, pollicitusq; Mauias eorum dux, Ioanni legato imperatoris ad id misso tributum annum, auri pondo III. millia, seruorum etiam honestorū, & equorum totidem. Sexta hoc principe uere pietatis celebrata synodus Constantinopoli, pax ubique etiam floruit, præterquam quod Bulgari trās Danubium repentinè bellum ostentarunt: quod cum infeliciter gereretur, inhonesta pace Myisia his ad inhabitandum data est, tributo etiam annuo promisso. Imperavit annum septimumdecimum Iustinianο filio hærede, cum fratribus minoribus nares amputasset. Pogonatus appellatus, quod imberbis in Siciliā profectus, barbatus redisset: τῶγνων enim Græci barbam ppellant.

**V**Ltimus Heraclianus stirpis Iustinianus imperio presul, prauis uir ingenij, & uarij, atq; à fide recte abhorrentis. Siquidem synodus aduersus sextam à patre celebratam indixit, bonis omnibus aduersantibus, & in primis Romano Pontifice, quem comprehendi mandauit. Bellum aduersus Arabas, & Bulgaros contra foedera motum, utrunq; calamitosissimum gesit. Quare & crudelitate etiam in suos iniurior factus, Leontij patricij, & Callinici patriarche dolo deturbatur imperio, atq; Chersonam relegatur, nare prius absissa. Vnde mox fugiens, & ad Tres bellum Bulgarorum regem fuga lapsus, eius opera restituitur: Tiberio, qui Leontio successerat fugato, & Callinico patriarcha luminibus priuato. Illud scientie hominis argumentum traditur, quod quoties truncas nares emungeret, toties unum ex ijs, qui Leontio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Sexto decimmo & decimo anno à Philippico pulsus, quem reclamante Constantino P̄tifice, acrius infectabatur (uenerat autem ad illum Romanus antistes accersitus, & ab imperatore honorificentissime exceptus) uitam & imperium pariter amisit, sexto anno post exilium, cum decem ante presulset.

## LEONTIVS.

**L**XXXVII. annos ab Heraclio ad Iustinianum

558 IO. BAPT. EGNATII

in una gente imperatum, quod nescio an ulli priorum contigerit, cum Leontius iustiniano relegato, imperium sibi vindicauit: qui classe aduersus Arabas Africam occupantes ingenti parata, cum infecta re rediret, imperio expellitur, postquam treis tantum annos rerum potitus esset. Hunc ergo Tiberius captum (sic enim quam Absimarus dici maluit) adepto imperio, naribus truncatum custodiri iussit.

ABSIMARVS, QVI ET TIBERIVS.

**H**unc classis in Creta imperatorem dixi, qui Heraclium fratrem statim aduersus Arabas omnia ustantes cum misisset, eius forti opera hactenus repressit, ut a nostris abstinerent. Inde Philippicum nobilitatis praecepit Chersonam relegauit, quod aquila caput obumbrasse uidebatur dormienti. Ceterum septimo post anno cum Leontio captus, a iustiniano interficitur.

PHILIPPICVS BARDANES.

**N**onquàm maior principum impietas, maiorum quod grauius doleas, socordia. Quippe hic adeptus imperium, sextæ synodi decreta altera synodo infirmare contendit: gratificaturus monacho, qui imperatorum illum prædixerat, hoc prædictionis præmium petenti, quare cum loquentiae multum huic inesset, sapientiae parum, opesq; imperij iampridem congregatas dissiparet, passus etiam Bulgaros Thraciæ popula-

RO. PRINCIPVM LIB. II. 559  
populari, priuatus oculis in ordinem redigitur, anno  
uno, & mens. VI. uix expletis.

ARTEMIVS, QVI ET ANA=

stasius.

**H**ic adeptus imperium, cùm optimè quæ ad pie=  
tatem rectam attinēt, instituisset ex Pontifi=  
cum assensu, classem ingentem aduersus Arabas in A=  
lexandriam emisit. Verūm clāsiarij quibusdam con=  
tumacius agentibus, qui illum oderant, domum reue=  
si, Theodosium ignobilem alioqui uirum imperio p̄e=  
ficiunt: capti q̄; Constantinopoli, monasterio Anastas=  
iūm includunt, cùm annum unum, menses tres impe=  
rasset.

THEODOSIVS A TRAMYTENVS.

**O**bscuro licet loco natus, non paenitendum im=  
peratorem egisset, si diutius illi per Leonem  
& Cononem Orientis praefectos imperare licuisset.  
Verūm cùm Leonem exercitus imperatorem dixi=  
set, pertæsus belli ciuilis Theodosius cessit imperio,  
monasticamq; uitam amplexus, satis diu ac felix in ea  
uixit, cùm annos II. imperasset.

LEON ISAVRVS, SIVE CONON.

**O**bscuritatem generis (quippe qui apud Isau=  
ros natus exercuerat sedentariam) cùm alijs  
sceleribus, tum uero impietate in deum, ac eius ima=

gines facile Leon æquauit, unde illi cognomen

zino-

vomāx̄, & deomāx̄ Græcis, quarum perdendī  
tantus hominē ardor inuaserat, ut Iudæis duobus gra-  
tificaretur, qui illum tantò antè imperaturum prædi-  
xerant: ut & Constantinopolitani pontificem, Ger-  
manum nomine, aduersantem, sede extrusserit, & Ro-  
manum antistitem obſistentem comprehendendi iuſſerit.  
Saraceni certè ducibus Masgalda, & Solymano Con-  
stantinopolim triennali obſidione, terra mariq; fati-  
garunt. Verū peste, fameq; conſecti, à Bulgari eti-  
am ſæpe uicti, claſſe magna ex parte igne ſub aquis  
ardenti conſumpta, pauciſſimi ex tanto naufragio  
ſeruatis, maniſtati in ſe numinis iram ſenſere: nec  
minori interim clade in urbe ſæuitum, trecenta &  
amplius ciuium millia peste, fameq; conſumpta. Ridic-  
uila planè quidam de cœleſti igne, & nauium nume-  
ro prodiſere. Inde Siciliam Sergij preſecti opera re-  
bellantem, ad officium retraxit. Circa finem imperij,  
quod quartum & uigesimum durauit annum, graui  
terræmotu Bythinia, Thraciaq; concuſſa, muriq; By-  
zantij magna ex parte collapſi, quo Theodosij maio-  
ris, & Arcadij filij ſtatuae ad terram deiectæ. Et que-  
res flectere impij principis animum ab impietate de-  
buerat, tanq; in maniſta deūm ira, ille uero ad priua-  
tum quæſtum retulit, tributo ad reſtituēdos muros im-  
poſito, ut in ſingula numiſmata quatuor & uiginti  
obolos ærario principis iuſſeret, quod poſtea in mul-

tas &amp; states

tas etates abiit. Hoc principe Romani pontifices ad  
Francos, primum respexere.

CONSTANTINVS COPRONYMO<sup>S</sup>.

**I**MPIO patri scelestissima successit proles Constantini cognomento Copronymi, quod infans baptis-  
tus lauacro admotus, medijs sacris almoniae excre-  
mento aquam polluerat. Is non solum patris impieta-  
tem in abolendis diuorum imaginibus reddidit, uerum  
etiam grauiore scelere reliquias eorum aut contem-  
psit, aut combusit: quam in numina impietatem im-  
manitas hominis iniuriam fecerit, dum nobilissimis  
quenq; tollendum è medio curat. Antistites certè Con-  
stantinopolitanos unum & alterum ignominiose pri-  
us habitos, & grauiter ad hac excruciatos, capite  
plectit. Hic Bulgaricum uariante fortuna bellum ter-  
ra, mariq; gesit. Artabasduum primæ nobilitatis ho-  
minem imperatorem ab orthodoxis creatum, post  
biennium à se captum, oculorum usu cum liberis pri-  
uat. Grauissimam hyemē, uti pontus, Bosphorusq; ipse  
Thracus perglaciauerit, expertus, post infinita fla-  
gitia exquisitiissimo cruciatu consumptus obiit impe-  
rij anno XXXIII. duobus mensibus minus.

## LEO.

**N**ON imperij solum, sed paterni sceleris heres  
aduersante matre Bulgarici sanguinis pien-  
tiissima successit Leo, qui ad impietatem sacrilegium

Nn                   etiam

etiam addiderit. Nam coronam à Mauricio principe  
Deo dicatam, nefario capiti imponēs, captus gemma-  
rum & auri splendore, breui poenas luit: caput enim  
impiū carbunculi apostemate statim intumuit: tandem  
ardentissima febri subsecuta, impium spiritum nefas-  
tius exhalauit, imperij anno uno.

CONSTANTINVS LEONIS F.

& Irene mater.

**R**editus tandem his principibus ueteri religio-  
ni sius nitor, reddita uetus pietas Irenes ma-  
tris opera: quæ Atticis aguinis forma insignis, sed pro-  
bitatis opinione insignior Leoni nupserat. Quare  
conuentu trecentorum & L. patrum Niceæ indicto,  
quæ septima synodus habetur, templis, diuisq; sive re-  
stitutæ sunt imagines. Nec multò post tamen Constan-  
tinus iam adultus matrem haud amplius passus, impe-  
rio deiicit, eiectam in ordinem redigit. Nicephorum  
imperatorij & ipsum stemmatis, in quem suffragia  
multorum tacitè inclinabant, oculorum & lingue  
usu priuat. Et ne quid sceleris deesset, Maria uxore  
monasterio obtrusa, Theodoram concubinam indu-  
cit matris consilio, ut filium inuisum omnibus faceret,  
unde mox rerum sola potita, filium in potestatem  
redactum excœcat. Eadem die qua sexto ante anno  
Nicephorum ille eodem supplicio afficerat: ipsaq;  
non multò post à Nicephoro pulsa, in Lesbum insu-  
lans

lam relegatur. Huius imperio, quod fuit cum filio ar-  
norum X. lamina inuenta est super cadaver his uero-  
bis: Christus nascetur ex uirgine, in eum credo: Con-  
stantini & Irenes imperio o sol iterum me uidebis.  
Sed & Carolus à Leone Romano pontifice imperij  
corona donetur, uirtutis & pietatis ergò.

## NICEPHORVS.

Piget planè, ac pariter me pudet, tot portentis  
uerius q̄ principibus referendis immorari: nisi  
quòd præterquam quòd rei series ita exigit, nonnihil  
& huiusmodi homines uitæ prosunt, dum eorum exi-  
tu & deterrentur possimi, & optimus quisq; ad uir-  
tutem, honestūq; acceditur. Nemo enim maiore hoc  
minim opiniōne ad imperium uenit, dum singulos  
aut muliebris impotentia, aut flagitosissimi principe-  
pis tædet: nemo auarius, aut crudelius administravit,  
quorum scelerum mox penas meritas luit. A Bulgā-  
ris enim paulò antè à se uictis, improviso noctis assul-  
ta oppressus, ipse cum toto exercitu ad internitionem  
ceditur. Stauracius filius saucius humerū, uix Adriac-  
nopolim evasit. Hic Venetam rem sociali classe ad-  
uersus Gallos iuuit. Populoniam dolo magis, quām uī  
captam diripit.

## STAVRACIVS.

A Drianopoli in quam euaserat, post patris inte-  
ritū imperator ab amicis salutatus: non multò

564 IO. BAPT. EGNATII  
pōst à Michaële Curoplate Rangabe cognomento,  
qui Procopiam sororem eius in uxorem duxerat, im= 10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
perio deturbatur, & monasterio includitur, post= 16.  
17.  
18.  
19.  
quam cum patre annos IX. imperasset.

MICHAEL CVROPLATES RAN= 20.  
21.  
22.  
23.  
gabe cognomento.

**M**elior pacis artibus, & pietate maior duōa bus à me proximè relatis successerat Michaél, si quam in toga bonus, tam bellicis rebus adminis trandis uiguissebat: à quibus tantum abhorruit, ut ad unam aduersam cum Bulgaris pugnam, à quibus castris etiam exutus est, ita conciderit, ut accepto nuncio de Leonis imperio, monasterio sc̄e abdiderit, habenās regni facile concedens post annum alterum im perij. Hic cum Carolo Francorum rege fœdus ita in ijt, ut Veneti suis legibus, ac iure uiuerent: immunitate his seruata, quam ad eam diem in terra Italia retinuerant.

LEO ARMENIUS.

**P**ardi Patritij filius magno omnīū gaudio, ma iore spe rei Romanae preficitur: nec cōceptā de se hominum animis spēm frustratus esset, nisi egre gias uirtutes crudelitate in suos, & impietate in de um mox fœdasset. Quippe qui parta de Bulgaris in signi uictoria, cūm ab armis quies esset, ad cādē mul torum conuersus, diuorum imagines deleri penitus iubet,

jubet, nec præfigis, aut somnijs maternis cladem im-  
minentem euadere potuit. Nam à Michaële Traulo,  
quem in custodia detinebat, noctu per insidias, dum  
sacris operatur, cæsus obiit post annos imperij VII.  
& menses V.

## MICHAEL BALBV.

**A**MORIUM Phrygiæ superioris oppidulum dea-  
dit hunc principem, non humili solum, sed for-  
dido etiam loco natum: ad quæ impietas quoq; acces-  
serat ex hæresi ludæorum, atq; Thinganorum hausta:  
Lingue præterea uitio balbutientem, unde Græci  
τραῦλον appellauere. Hic post interfectum Leonē,  
à quo ad tantam fortunam euectus erat: Thomam,  
qui tyrannidem inuaserat, uario primùm rerum euen-  
tu, tandem opprescit: defectionisq; socios cū ipso Tho-  
ma sustulit. Saraceni hoc principe ex Africa profecti,  
Cretam insulam occupant, totamq; ferè in ditionem  
redigunt, Græcosq; duplice prælio uincunt. Ipse prin-  
ceps cum annos VIII. menses IX. imperasset, Theo-  
philo filio per manus imperium tradidit. Vetus oracu-  
lum innotuit, tum rem Romanam in lapsum præcipi-  
tem ruituram, cum Balbus & auariissimus princeps im-  
peraret, qualis hic uir fuit.

## THEOPHILVS.

**M**AIOR iustitiæ cultus in Theophilo filio: quip-  
pe qui facilimum se se statis diebus adeuntia-

## 566 IO. BAPT. EGNATII

bus exhiberet, & ad seueritatem interdum proprie-  
sior acrius delicta puniret: sed par impietas, ut qui di-  
uorum imagines ex paterna emulatione auersatus,  
non paucos, qui eas colerent, ad mortem usq; cædi ius-  
serit. Saracenis Asiae provincias uastantibus bis con-  
gressus, bis uictus est, castrisq; exutus. Quin etiâ Amo-  
rium, unde illi genus, ab ijs obsecsum, & proditione  
captum diripuit. Cunig; annos duodecim rebus præ-  
suisset, dysenteriæ morbo perij.

MICHAEL THEOPHILI, ET

Theodora eius mater.

**F**ecit Irenes Constantini matris administratio, ut  
fœminei non poeniteret imperij. Quare Theop-  
hilo uita functa, Michæle filio adhuc infante, &  
sub tutela matris, ac principum uirorum relicto, Bul-  
gari Scythicum genus pietatem nostram populariter  
sunt amplexi, cum Theodora genitrix rebus adhuc  
præasset. Verum impotentiam muliebrem quis æquo  
animo ferat, ubi præsertim impictatem afferat? Nam  
& illa diuorum imagines execrata est. Cæterian im-  
pictatis penas mox dedit, à filio monasterio inclusa:  
qui ayo. similior quam patri, per summam ignauiam,  
ac prodigalitatem rem afflixit, à Saracenis etiam ca-  
stris exutus, nec minore insania Circensibus ludis ob-  
lectatus est: quibus dum plus ingenio indulget, Basia-  
lium Macedonem Barda interfecto, consortem im-  
perij

RO. PRINCIPVM LIB. II. 567  
perij adscivuit, à quo mox occisus est imperij anno.  
XIII. quorum treis cum matre egerat.

BASILIVS MACEDO.

**Q**uis crederet & hunc captiuum inter uenales  
Constantinopolim adductum, Romanae rei  
præfuisse, qui nec patriam, nec parentes saltem cire  
posset? præfuit tamen & eo rerum successu, ut ad  
eius nepotes imperij maiestas trāsferit. Primū igitur  
adepto imperio profusissimas Michaēlis largitiones  
reuoauit, ut dimidium eorum, quæ accepissent, æra  
rio inferrent, & treis liberos imperij hæredes insti-  
tuit: inde in Saracenos, qui Cretam occuparant, pro-  
fectus, ab his uauali prälio superatur: quos tamen a-  
lienō ductu pòst uicit. Hoc imperante, Saraceni ex  
Africa soluentes, cum Italiam magna ex parte uastasa-  
sent, Dalmatiam quoq; populati sunt, Rhagusio eti-  
am capto, quos tamen Nicephori Phoce ductu inde  
pòst eiecit, Bario in ditionem suam redacto, tametsi  
Veneti una atq; altera expeditione rem Christianam  
iuuissent. Cæterum cum annos XX. imperasset, à cer-  
uo in uenatione cornu ictus, mox perijt. Vir frugi, &  
quem principem non contemnas.

LEO BASILII PHILOSO-

phus.

**C**onstantino filio maximo natu (uiuente adhuc  
patre) uita functo, Leo cognomento Philoso-

Nn 4 phus.

568 IO. BAPT. EGNATII

phus frater succedit: qui Bulgaros desciscentes, Turcarum auxilio primò uicit. Verum ab his per inanes inducias delusus, magna clade afficitur: inde in Saracenos classe comparata, Nicetæ ductu egregiam uistoriam peperit, literarum omnium, & astrologie in primis eruditus, & qui filium Constantinum imperaturum diuinaret. Tandem post annos V. & XX. menses treis alui doloribus fatigatus, Alexandro fratri imperium per manus tradidit, cui filium commendauit.

ALEXANDER.

**N**ec Basilio patri, nec Leoni fratri similis Alexander succedit, uir luxu & ignavia perditus, annum & mensem rerum potitus. Qui cum nec ipse rectè administraret imperium, & ignobilissimum quenq[ue], ac turpisimum rebus præficeret, erumpente naribus sanguine extinctus est.

CONSTANTINUS.

**S**eptennem hunc pater Leo sub tutela matris, & nobilium quorundam reliquit: quorum diligentia Andronicus Ducas tyrannidis inuasor oppressus est. Inde Bulgaris Thraciam uastantibus bellum indicatum: quod feliciter sanè Phocæ ductu successerat, nisi casu quodam consternati milites iam uictores in fugam conuersi fuissent. Eadem quoq[ue] fortuna alterius in Bulgaros expeditionis fuit ducum discordia, & ambitione: ut & Constantinopolis à Bulgario hoste sit

sit obsessa, & Romanus Lecapenus Zoë Constantini matre prius electa, imperij socius adscitus à Constantino necessario sit, qui Helenam eius filiam in uxorem etiam duxit. Ceterum Romano in exiliū pulso, Christophoroq; eius filio cum tota Lecapenorum gente extincto, ipse rem imperij per annos undequaque draginta satis prudenter administrauit. Beneuento de Longobardis expugnato, & tyrannis quibusdam oppressis, Turcarumq; principibus aliquot Christiana pietate imbutis. Hic à literis, optimisq; disciplinis non abhorrens, quas penè extinctas ab interitu vindicauit. librum Romano filio reliquit, in quo summan totius imperij, sociorum omnium foedera, hostium uires, rationes, consilia explicuit, quem nos in bibliotheca nostra tanquā thesaurum seruamus, in quo multa de Venetis etiam nostris imperator ipse disserit.

## ROMANVS LECAPENVS.

**N**on iusurandum sanctissimum, quod prestiterat, nō gener Constantinus obstitit, quo minus imperiū & sibi, & Christophoro filio Romanus vindicaret, Constantinūq; penè in ordinem redigere. Is uero cùm Bulgaricum bellum contra Simeonem eorum ducem infelicititer gesisset, & sextum ac uigesimum annum præfuisset, tandem à Stephano filio captus, insulae includitur: mox & eius filij à Con-

Nn S stanc

370 IO. BART. EGNATI  
stantino comprehensi, alter in Proconnessum, in Leſbum alter relegatur.

ROMANVS LEONIS IVNIOR.

**V**ix omnium ignauissimus, luxuq; ac ocio perditus, post Constantinum patrem imperium suscepit Romanus nomine: quod tamen alieno arbitrio rexit, ingenio alioqui non malo, sed interdum solerti, ubi animum adieciſſet: foris aduersus Saracenos, qui Cretam occupabant, Nicephori ductu, & aduersus Turcas Asiam ustantes eiusdem Nicephori & Leonis fratris imperio felix. Domi in matrem, ac sorores, impius, ut regia cieclæ, quæſtum meretriciū ſint aplexæ: ipſe ludis ac crapulæ intentus, poſt tertium decimum imperij annum obiit ueneno etiam potionatus.

NICEPHORVS PHOCAS.

**N**obilissimus haud dubiè Romano ſucceſſit Nicephorus cognomento Phocas, Phocæ Nicephori nepos, qui in Sicilia contra Saracenos res egegias gafferat: ſimulac igitur adeptus imperium est, classem in Saracenos occupantes Siciliā inſtruit: ipſe in eisdem Asiam ustantes exercitum duxit: in Sicilia res infeliciter per duces acta: ipſe Ciliciam & magnam Asia partem Letis auſpicijs recepit: mox Antiochiam noctu aggrefſus pulsis Saracenis, imperio ſubdidit. Sed quam bellica re fortunatus, tam domi infelix, dum auaricie, ſocordieq; ſeſe emancipat. Ex quo,

quo in odium ciuium incurrens, facile à Ioanne Zimi  
fec adiuuante Theophania Nicephori uxore, noctu  
intra cubili interficitur, cum rerum potitus esset an-  
nos sex, menses totidem.

## IOANNES ZIMISCES.

**C**Larus hic iā ante a militari laude imperiū asse-  
cucus, Basiliū & Constantiū fratres, Roma-  
ni iunioris filios, imperij consortes adsciscit: in Rho-  
zolanos Bulgariā sibi uendicantes felicissimē rem ge-  
rit: Phocam Nicephorū rebellatēm capit: indeq; Bul-  
gariam omnem imperio adiecit, electis inde Rhoxo-  
lanis, Sphendoslaōq; eorum rege ad deditiōnem co-  
acto: mox Constantinopolim reuersus, cūm triūphan-  
tis specie inuestus urbi esset, potionatus post imperij  
annum sextum, & menses sex deceſſit.

BASILIVS ET CONSTAN-  
tinus fratres.

**N**Vlli diuturnius rerum potiti, quippe qui an-  
nos LIII. præfuerint, & ne sine ciuili bello rē  
transigerent, Barda Scleri ambitio fecit, quem inua-  
forem imperij tandem acie iuictum ad Persas fugere  
compulere: nec multò pōst Phocas Barda cognomen-  
to ab exilio reuocatus, indignatusq; post rem præcla-  
rē aduersus Sclerum se duce nauatam, ab imperato-  
ribus contemni, desciuit: quem & ipsum cæsum in a-  
cie superarunt, inde in Bulgaros itum, quos prælijs  
aliquot:

aliquot uictos ad deditio[n]em tandem totius g[ra]tis Basilius cōpulit, usus ad compescendam eorum perfidiam grauiore in uictos poena. Nam XV. millibus eorum captis oculos effodit, uno tantum incolumi, qui eis ad Samuelem eorum ducem praeiret. Quare dolore animi Samuel affectus, non multo post obiit. Bulgaria igitur omni subacta, & imperij terminis undiq[ue] ampliatis, post LXX. & alterum uitæ annum decedens, Constantinum fratrem successorem reliquit.

## CONSTANTINVS,

**H**ic cū fratre particeps dignitatis potius, q[uod] po tentia, post fratrem per summam ignauiam et luxuriam ita se gescit, uti obscurissimis & barbaris hominibus rem totā traderet. Illud eo principe dignæ laude gestum, quod Diogenes, qui Syrmio & Burgarie præerat, Patzinacas Istrum superantes uicit. Dececessit tertio imperij anno septuagenarius, Zoë filia, Romano Argyropylo in uxorem collata,

## ROMANVS ARGYROPYLVS.

**H**unc Zoë filie Constantinus ut omnium nobilis simus, qui imperij heres esset, delegerat, optima de eo omnium spe: quam sub initia nequaq[ue] frustratus est, cū multa in melius mutarit, summa etiam liberalitate in omnes usus. Verum cum Saracenica Asia expeditio paru[m] ex sententia illi ceßisset, repente mutatus, totū se ignauia, ac pecunia colligenda tradidit:

hec multò pōst Zoë uxoris infidijs & Michaēlis  
Paphlagonis adulteri dolo intra balneas aquis im=

mersus obiit, cū annos V. & dimidium regnasset.

MICHAEL PAPHLAGO.

**Q**uis non effrenem in quinquagenaria foemina libidinē execretur? aut fortunē ludum in hoc principe non admiretur? mancipium uidelicet barbae rum, nec ulla re nisi forma commendatum, mente etiam commotum, labensq; ad singula momenta, spuma insuper oris foeda: septem tamen annos imperauit: nec malum omnino principem egit. Nam & tricenae les inducias cum Aegyptio rege percuſſit, & Edesa sam obſidione liberavit: & domi in suos facilis, ac be neficus admodum fuit, uni Zoë propter expertam libidinem parum æquus, qui cū intercutis etiam morbo laborare coepiſſet, Michaēlem Calaphatem hæredem imperij esse uoluit.

MICHAEL CALAPHATES.

**H**ic adoptatus à Zoë, preter sordes parentum, qui nauis apud Paphlagonas pice oblimerent, unde Calaphates etiā dictus, auarè ac crudeliter rem susceptā administravit: ingratissimus enim in omnes patruum autore tante maiestatis primum eiecit: reliquos deinde consanguineos execuit: inde Zoën matrem in insulam relegavit: quod cū indignissimè oēs ferrent, populi conſpiratione restituta Zoë, fugiens

cum

574 IO. BAPT. EGNATII  
cum fratre Constantino à turba capitur: & uterque  
oculorum usu familiari Græcis poena priuatur: mensis  
bus quatuor, & totidem dies rerum potitus.

ZOE ET THEODORA.

**F**lagitia principum, ut miliebre imperiū æquius  
uideretur, effecere. Quare sororibus duabus im-  
perij fasces, ac maiestas asserta. Ceterum ut uarium,  
ac mutabile semper est foemina, facile Zoë ardeni-  
adhus libidine persuasum, ut maritum adsciceret.  
Cumq; aliquot fastidisset, Constantiū Monomachū  
ab auxilio reuocatum, imperatoriij & ipsum stēmatis  
uirum sibi adiungit, & imperatorem pronunciat men-  
sibus III. uix exactis.

**C**ONSTANTINVS MONOMACHVS.  
**H**inc prima imperij labes, hinc reliqua, que co-  
secutæ sunt clades, ortum habuere: principe  
adeo ignauo, & libidine perditio, ut concubinam egre-  
gia alioq; forma, uxoris legitimæ loco habuerit, quam  
effictim deperiret. Duplex illum factio sub initia Ma-  
niacis uidelicet Georgij, & Leonis Tornicij est ag-  
ressa: sed Maniacis motus, qui ex Italia in Epeirum  
transierat, una pugna secunda & ducis morte facile  
compressus. Tornicana defectio eò grauior, quò diu-  
turnior: sed eo post aliquot prælia tandem capto, &  
oculorum usu priuato, facile consedit. hoc princi-  
pe Turcarum arma tunc primum per Asiam latius  
euagata:

R.O. PRINCIPVM LIB. II. 575  
euagata: uicti tamen interim Rhoxolani, & Patzinae  
& Scythicum genus hominum. Zoēq; uxore septua-  
genaria fato mox functa, & ipse tandem morbo p̄-  
grauante decessit post annos imperij bissenos, & mē-  
ses octonos.

### THEODORA.

**N**on pudeat & Theodoram Zoēs sororē, quae  
biennio uix imperauit, nostris inserere com-  
mentarijs: quandoquidem nō muliebriter foemina re-  
bus p̄fuerit. Quinimo tanta domi, forisq; quies &  
ocium fuit, tanta rerum omnium ubertas, ut foeminei  
imperij neminem p̄eniteret. Verum ingrauescente cū  
etate morbo, illecebris eunuchorū Michaelem iam se-  
nem in curā partem cū aduocasset, ipsa non multò  
p̄st satis, naturaeq; conceffit.

### MICHAEL SENIOR.

**V**ix annum unum rerum potitus erat, cū Isaaci  
Comneni motus in ordinem illum redegit, ui-  
rum genere & opibus clarum: cetera minus ad impe-  
randum idoneum, etate etiam p̄grauante: qui pri-  
uatus non multò p̄st obierit.

### ISAACIUS COMNENVS.

**T**andem uirū fortē, & pace, belloq; illustrem,  
Constantinopolitana res sortita fuerat, Isaaci-  
um, scilicet Comnenā gente nobili, si ultra biennium  
septtri, regniq; potitus esset: uerū ille lateris morbo  
inter

inter uenandum subito oppressus, cum de salute desperasset, cucullam monasticam induitus regno se abdicat, Constantino Duca de senatus, populiq; uoluntate successore declarato. Sunt qui scribant tanta continentia eum fuisse, uti nec uxorem cognoscere uellet post prolem semel ex ea susceptam, cum tamen ad morbi remedium medici in primis consulerent, ut coitus frequentiore ueteretur.

## CONSTANTINVS DVCAS.

**E**T hunc suorum conspiratio sub initia grauis excepterat: quam cum non sine discrimine comprehisset, ad Reip. administrationem conuersus, non pessimum principem egit. Veræ pietatis cultor, & equi obseruantissimus, sed avaritie studium prægrauabat: unde inuisus suis hostibus etiam ludibrio fuit, imperij res undiq; uexantibus: accessit ad externa mala familiaris Constantinopoli clades grauis terræmotus, quo templo, ædesq; multæ corruere: sed morbo inualescente Eudocie uxori & filiis sceptrum tradens, anno VII. & mense VI. imperij, cum LX. & amplius uixisset, exceperat.

## EVDOCIA ET FILII.

**P**oterant res domesticæ fortasse muliebri prudenteria nō incommodè administrari, si à bellis extensis quies affueret: sed imminentibus undiq; Barbaris uicit eorum sententia, qui virum idoneum proficiens

RO. PRINCIPVM LIB. II. 577  
ficiendum rebus esse contendebant. Quare iuris-  
randi oblita, quo marito morienti se obstrinxerat,  
non superinducturā se imperij rebus maritū alium,  
sive etiam coacta, Romanum cognomento Diogenē,  
filii etiam non improbantibus, post menses VII. im-  
perij, uirum sibi adiunxit, qui Rempu. prudentia ac  
fortitudine tueretur.

ROMANVS DIOGENES.

**H**ic Diogenes pater fuerat haud dubie do-  
mi, militieq; clarus; qui postea tyrānidis asse-  
ctate reus se ipsum præcipitauit. Paternæ igitur lau-  
dis emulator filius, cum uictoriam egregiam retulisti-  
set ex hoste barbaro, dignus est habitus, quem Eudo-  
cia in thori, curāq; partem acciperet: quā tamen nō  
multò pōst facile pœnituit, cūm insolentiæ hominis  
pertæderet, qui rem ad se totam traheret. Prior ex-  
peditio in Barbaros Asiam uastantes uario rerū suc-  
cessu illi administrata. Altera funestissima, Romano  
milite uel fugato, uel eæso, ipso certè imperatore (q;  
ad eam diem nunquam contigerat) capto. Ferunt  
Azan Turcarum principem ad primum nuncium ca-  
pti imperatoris Romani uix credentem constitisse:  
mox ad se adductum, & cognitum, in summo honore  
à Barbaro habitum, & amplis donatum muneribus,  
pace inita dimissum: sed Byzantij omnia ad primū  
cladis acceptæ nuncium mutata erant: ipsa Eudocia

relegata: Romano abdicatum imperium, & Michael maximus Constantini filius rebus praepositus. Ipse Romanus cum bellum frustra pararet, tandem deditus preter iurisurandi religionem oculis immane in modum prius effossis deportatur in insulam: ubi non multo post decedens, ab Eudocia uxore sepelitur post annos tres, menses autem octo.

## MICHAEL CONSTANTINI

Ducæ filius Parapinaceus.

**I**gnauissimum principem numina nobis (ut arbitror) iampridè infesta, dedere: quem à fame, quæ sub eo inualuit, Parapinaceum appellauere. Cum igitur imperij res pari ignauia, ac securitia uexarentur, principe sub Psello magistro uersibus tantu<sup>m</sup> factitatis intento, Nicephorus Botaniates cognomēto haud dubiè nobilissimus imperium sibi afferuit: quem in secordis principis inuidiam ciues facile admisere, Michael prius cum uxore & filio post sextum imperij annum, & menses sex cenobio incluso.

## NICEPHORVS BOTANIATES.

**A**Phoca imperatore stemma huic ductū: quare tanquam omnium nobilissimus Michael facile reiecto surrogatur: qui Comnenorum fratrum fortissimum, fidelique opera usus, qui Bryennium tyrannidis inuasorem, & Basilatium sustulerant, mox ab illis defectione meditatibus imperio perturbatur, anno III. quam

quam imperare cœperat: ipse monasticam uitam se-  
cessus. Alexius autem Comnenus minor natu, militari  
turba acceptior, imperator salutatur: qui Byzantium  
ingressus die dominice cœne sacratissimo magna  
hebdomadis, hostilem in modum urbem totam diri-  
puit, nullo non iniuriarum genere in ciues edito.

## ALEXIUS COMNENVS.

**S**uccesit iam hinc familia, unde hereditarium, ac  
Propè iustū in Græcā gentem odiū ad nos trans-  
missum sit. Nā et si iam pridem sub Photio scisma cœ-  
perat, manebat tamē qualiscunq; Romani pontificis  
maiestas, & malè sartam gratiā affinitates quædā cī  
principibus nostris initie focillat ant. Alexius autem  
ueluti ex professo hostis Latini noīs præter bellum, q  
cū Roberto Viscardo infeliciter gesit, Venetis etiā  
armis adiutis, Gallorū memorabilem illā expeditio-  
nem, quam suspectā semper ab initio duxerat, pertin-  
bare conatus est. Cæterū non succedēt cōsilio, his cō-  
ditionibus cōmeatu, & alijs necessarijs rebus adiutu-  
rum se Gallos recepit, si quæcūq; cepissent ex hoste,  
sibi restituerent: ex ducibus certè nostris plurimum  
Boamundo Normanno deferre usus est. Conuersus  
inde ad pacis artes, orphanotropheion erexit, & mu-  
seū: in altero pueros, puellasq; parentibus orbos ale-  
dos, in altero erudiēdos instituit, sumptusq; his ex re-  
gio keftigali datus: ipse uero morbo fatigatus, post

580 IO. BAPT. EGNATII

VII. & XXX. imperij annum, menses IIII. cum  
dimidio moriēs, Ioanni filio reluctante in primis ma-  
tre, imperium reliquit.

IOANNES.

**I**oannes, quem nostrorum quidam Caloianem ap-  
pellant, ubi imperii adeptus est, suos omnes dig-  
nitatibus ornat, in Isaacium fratrem propensiissimus,  
quem incredibili charitate dilexit: uarijs expeditio-  
nibus in Asiam usus: Turcas, Persasq; prælijs aliquot  
uicit, urbesq; illis non paucas ademit. Latinorum mi-  
litum fortē, fidelemq; operam semper expertus, le-  
gatos ad Innocentium pontificem, & Lotharium im-  
peratorem, uictoriā de Rogerio gratulaturos misit:  
tandem memorabili exitu in uenatione sagitta uene-  
nata digitum dextræ saucius, post quintum & uigesimū  
imperij annū & menses octo, natu minori Ma-  
nucli sceptrum reliquit, cū Isaacium ut minus ad im-  
perandum idoneum reieciisset: non contempnendus o-  
mnino princeps. MANVEL.

**N**ullus infestior in nos fuit: nulli iniuriores suc-  
cessus nostrorum fuere: ut Corradum Germa-  
num, & Ludouicum Francorum regem, uarijs ins-  
dijs fatigari: quare coacti intempestiū Bosphorū  
trajicere, cum in locorum angustijs à Græcis nostri  
cederentur, fame quoq; laborare cœperūt: sed famem  
morbus etiam subsecutus gypso per summum scelus  
farina

RO. PRINCIPVM LIB. II. 581  
farine immixto. Quare indignatus Siciliae rex Ro-  
gerius bellum illi indixit: indictum fortiter gesit, ua-  
stata omni ora Græcia, & Byzantio etiam per suos  
duces ad eis insultatus, ut sagittas argenteas, auricasq;  
hortis regijs immiserint. Venetis etiā non minus in-  
festus, contra ius gentium Henricum Dandulum eos  
rum legatum uiolat: negotiatores, quos simulata pa-  
ce euocarat, uno die cōprehendit: ex quo Venetis ar-  
mis pressus, tandem promissa bonorum restitutione,  
equis pensionibus pacē impetrat: prælium cum Tur-  
cis funestissimum gesit, in quo penè captus est. Federi  
cum Aeneobarbū etiam Italicis auxilijs exercuit; re-  
tæ fidei dogmata perturbare per insaniam adortus,  
non prius abstinuit ab incepto, quam omnes aduer-  
santes sibi uidit: demum cum astrologie peritissimus  
haberetur, responderetq; sibi multos adhuc uitæ &  
imperij annos, totiusq; Orientis imperium agitaret  
animo, post XXX VIII principatus annos mo-  
naстicā uitā secutus morbo periit; Alexio filio paru-  
lo relicto.

A L E X I V S.

**P**atri puer Alexius adhuc succedit, qui fatiga-  
tus multorum insidijs, Andronicū maximè infa-  
lsum habuit, uirū callidum & impium: qui ex facio-  
Comneno Ioannis fratre natus, nobilissimus haud du-  
biè habebatur. Is Cōstantinopolim ingressus primū  
tutorem egit, inde participem imperij. Demum præ-

## 582 IO. BAPT. EGNATII

ter iurisurandi fidem Dominici etiam corporis & sanguinis haustu sacratiorem, Alexium XV. tantum annos natum, cum treis annos à patris morte rerum potitus esset, miserabiliter excruciatū necari iubet: capiteq; absicso, reliquū cadaver in mare proiecit.

## ANDRONICVS COMMENVS.

**C**allidissimus mortalium, ac seuis, cetera non improbandus si regnandi libidinem demeres: biennium rebus praeuit, omnibus ob insitam seuitiam inuisus. Quare bello etiam à Gulielmo Siculo appetitus, cum undiq; premeretur, tandem ab Isacio Angelo præter suā, omniumq; opinionem imperio deicetur: captusq; ac per urbem camelō sedens circumuenitus manu absicssa, oculoq; effosso, turbæ vulgiq; tumultu lacer periit.

## ISACIVS ANGELVS,

**C**onmenorum sublata stirpe, ad Isaciū cognomento Angelū summa rerū præter omniū spē defertur, qui cum prudenter se gerere sub initia videatur, classem ad recipiendam Cyprum frustra comparauit. Bellum etiam cum Mysis, qui & Valachi dicuntur, Petro & Asane fratribus defectionis autoribus infeliciter gesit: uarias interim multorū tyranni des oppresit. Federicum Aeneobarbū in Syria propteram magnificè excepit: Ipse uero, cum in nostris beneuolo animo esse uideretur, ab Alexio fratre,

AT  
XV.  
morte  
cari  
re procul  
U.S.  
terta non  
demers  
scutia  
appetit  
Ange  
cijcia  
muca  
tu  
ro  
pe  
alio  
a con  
tch  
autori  
tyrani  
grup  
un it  
leto  
14

RO. PRINCIPVM LIB. II. 583  
tre, quem captum à Turcis redemerat Isacius, per  
sumnum scelus imperio, oculisq; priuatur.

ALEXIVS FRATRICIDA.

**N**on ingratus in fratrem solum, sed plane im-  
pius Alexius uidcri posse: qui non solum ma-  
iori fratri imperium per scelus ademerit, uerum etiā  
nepotem extorrem pateretur. Sed affuit non multò  
post grauis ultio. Restitutus enim nepos patrem ad-  
huc uiuentem rebus præficit. Ipso autem Alexio si-  
ga dilapo, nepos Alexius Isaci filius post subitā pa-  
tris mortem imperator est dictus, Gallorum Vene-  
torumq; armis præalentibus.

ALEXIVS iunior, ISACII filius.

**P**er annorum XII. cum Pannonas, Gallosq; per  
matrem, uxoremq; attingeret, Venetorum, Gal-  
lorumq; ope in imperium restituitur. Id uero præter  
alia in foedere sanciendo disertè cautum, ut patriarcha  
Constantinopolitanus Romano pontifici tanquam  
maiori subeffet: & damna Francis, Venetiisq; à Ma-  
nuele illata compensaret. Qui mense post restitutio-  
nem suam uix exacto, cū satageret rerum, quas pro-  
misera, à Murziphlo quodam ignobili, quem tamen  
ad sumnum dignitatis gradum extulerat, fraude pu-  
er necatur: sed Murziphlus & ipse non multò post  
in Peloponneso captus, & Constantinopolim retran-  
stus, per sumnam ignominiam, & cruciatus obiit.

Oo 4 BAL

## BALDVINVS FLANDRENSIS.

**E**xcellens Veneti sanguinis uirtus adiuta Gallis  
eis armis, imperium, quod tot annos factiosissi-  
ma, & turbulentissima Græcorum natio possederat,  
Latino nominis facile afferuit. Capta enim urbe post  
Murziphli fugā, Baldwinus Flandriæ comes, XV. ui-  
rū suffragio imperator eligitur. Veneti priuo sus-  
fragio Thomam Mairocenum (quando ita conuenie-  
rat, ut ipsi antistitē darent, si Gallus imperaret) pa-  
triarcham designant: qui statim ad Romanū pontifi-  
cem proiectus, cū dignitatis suæ autorē fecit: moxq;  
reuersus celeberrimo gētium conuentu, Baldwinū im-  
perij corona donat: qui uix anno circumacto, cū præ-  
ter Adrianopolim cuncta recepisset, moriens fratre  
Henricum successorē habuit. Sunt qui annos V. impe-  
ratum prodant. **HENRICVS.**

**B**alduno fratri succedit Hēricus: qui pace cum  
Vlachis firmata, & filia ducis eorum in uxori  
ducta domi, forisq; cum prudēter se gereret, in Thes-  
saliam proiectus, Gulielmum filium Bonifacij regem  
Thessaliæ declarat: mox moriens Iolantam filiam Pe-  
tro Antisiodorensi nuptam reliquit hæredem, anno  
imperij XI.

## PETRVS ANTISIODORENSIS.

**H**ic uxorio iure (quando mascula nulla super-  
erat proles) innixus ab Honorio pōtifice ad  
**Laurē-**

Laurentij sanum extra urbem insignia imperij accepit: inde Venetis nauibus soluens, cum Dyrrachium in Venetorum gratiam frustra tentasset, à Theodoro Lascare, qui se Græcorum imperatorē gerebat, per assimilationem pacis præter iurisurandi religionē & fidem medio conuiuio obtruncatur. Sunt qui circa nemorosa Thessalica loca (Tempe ea uocant) in insidijs captum, & in vinculis asservatum prodant.

ROBERTVS FILIVS.

**N**Vlli dubium esse potest, treis à me principes relatios pietate ac fortitudine eximios fuisse: quibus tamen fortuna haud sanè arriserit: tum quod rerum diu potiri non est datum, tum quod in tanta imperij nouitate obnoxiam, ac planè precariam potestatem agerent. Eadem propè sors Roberto affuit, qui ad paterna captiuitatis nuncium Byzantium aduolans, cùm se optimè gereret, Veneti nominis obseruantissimus inuidiā unius ex purpuratis suis sensit: qui abductam sibi ab illo sponsam iniquissime fecrēs, impotens animi cum domesticis regiā irrupit, dehonestatamq; naribus puellam cecidit. Quam iniuriam ulturus Robertus, dum Roman contendit, atq; inde reuertitur, in Achaia morbo decepit, re interina Veneto prætori demandata.

BALDVINVS.

Oo 5 Quasi

**Q**VASI fato cuenisse dicas, ut quemadmodum à Balduno auspicia regni cœperant, sic in Balduno conciderent: patri Roberto sufficitur Baldinus filius. Cui, quòd per etatem tantæ rerum moli nō uidebatur idoneus, Ioannes Brennius sacer adiutor datur. Qui præalentibus Græcorum armis, cùm Venetorum auxilio sepe rem tutatus esset, tandem op. pignerato filio, & crucis dominicae parte, quintiā templorum donarijs omnium ablatis, cùm ingentem exercitum ad Bosphori fauces obiecisset, per eius absentiam à Michaëlo Paleologo proditione recipitur Byzantium: ita dum extremam uim formidat, domestica opprimitur. Anno igitur L X. ferè quam imperari à nobis cœptum est, Byzantium amissum est.

LASCARORVM STEMMA.

**D**Etur & hoc ipsum cùm studiosis omnibus, tū Lascare & familiæ haud dubie clarissimæ: ut q̄ interim ad Adrianopolim rei præfuerint, nō ignoratur, quo usq; Michaëlis Palæologi uirtute Græcis iterum uindicatum imperiū est. Imperator Alexius cognomento Angelus, quem fratribetam superius ostendimus, Theodoro Lascari filiā deſpondit, dotisq; nomine imperij titulos genero tribuit. Huic mascula proles ex uxore nulla, sc̄emina tantū Irene filia fuit: quā Ioanni Diplobatazio in matrimoniu iuxxit, imperiūq; illi p̄ manus tradidit. Cui postea Theodorus filius

filius succedit, ex quo Ioannes, quem Michael Palaeologus puerum cum interficiasset, ipse sibi & posteris per summum seclus imperium uendicauit.

## MICHAEL PALAEOLOGVS.

**V**ehementis spiritus uir, cum illum fiduciarie quodammodo tutelae pertaderet, imperiumque sibi ac suis destinasset, Guilielmū Achaiū principatu primum spoliat: inde Byzantio capta, cum Veneti bellū diu gesit: à quibus facile imperio deturbari potuit, nisi Genuenses obstatissent. Quare inducis initis, Lugdunum ad concilium uenit, quod Gregorius pontifex indixerat, facileq; illi cū Romano pontifice conuenit: ex quo tantam inuidiam Graecanice gentis contraxit, ut nec morienti iusta persolverint, & locum sepulturæ negarint. Hunc annos quadraginta & amplius rebus presuisse, nisi annales dubia prodant, certum est.

## ANDRONICVS ET MICHAEL FILIVS.

**E**x tribus maribus natu maximus Andronicus imperium arripuit: qui Michael matre Vngaria natū, confortē imperij sibi ascivit: quo mox uita functo, præ dolore amisse filię & generi, pater Andronicus Constantiū Despotē iuniorē ad imperij successionē inuitat: q; Michaelis filius Andronicus egrè serens, in auū insurgit, Genuensiūque auxilio frētus, ius omne ad se trahit: sed Veneti seniorē Androni-

nician

588 IO. BAPT. EGNATII  
nicum cum restituissent, tandem prægrauatibus Bul-  
garicis auxilijs & Genuensiū, auus coactus Venetos  
destituit, partesq; Ligusticas à nepote coactus am-  
pleteatur, & septuagenario maior tandem moritur.

ANDRONICVS IVNIOR.

**S**Ex annos & amplius bellum uarium & anceps  
hic cum auo gesit; s̄epe tamē reconciliatis ani-  
mis amicorum interuentu, & gratia male sarta ne-  
quaquam coēuntc. Tandem cum Byzantium nepos  
clām ingressus esset, in auum nihil ultrā molitus, illū  
secum imperare quoad uixit, passus est. Eo mortuo,  
cum aduersus hostes Romani nominis res egregias  
gesisset, multisq; victorijs clarus esset, unde quinqua  
gesimo etatis anno moritur, febre, capitisq; dolore  
intra quadriduum confectus.

IOANNES PALAEOLOGVS,  
& Ioannes Cantacuzenus.

**M**ortuo Andronico iuniore, cum Cantacuzen-  
ni arbitrio, qui magni domestici dignitatem  
supremam obtinebat, omnia prudenter gererentur,  
Apocauci fraude uiri obscurissimi, sed solertia &  
calliditate inter principis amicos præcipue digna-  
tionis, & patriarchæ ambitione in exilium truditur:  
ille uero iniuriæ impatiens, bellum quinquennale ad-  
uersus reginam & Ioannem gesit, Turcarum arma  
Europæ primus inferens. Ceterum rebus indies pes-  
tum

sum cunctibus, proditur illi Byzantium: quod cum occu-  
passet, nulli ferè molestus imperij tantum partici-  
pē egit, filia in uxorem Ioanni tradita: inde in Ge-  
nuës socijs Venetijs & Arrogonijs bellū uaria for-  
tuna gestum: cui Nicolaus Pisanus dux præfuit: nec  
multò pòst bellum à Palaeologo exule Cantacuzeno  
indictum, Turcarū in primis ope geritur, quibus etiā  
in Europa locum inhabitandum primus tradidit. Et  
cùm ex Tenedo soluens improuisus Byzantium in-  
gressus esset, tandem Cantacuzenus imperio se abdi-  
cans, monasticam uitam sequitur: hic Ioannes Mat-  
thæum Cantacuzeni filiū consortem imperij agentē  
tandem imperiū deponere coēgit: & cùm multa for-  
tier administrasset bella, moriens filio Manuelli im-  
perium reliquit.

MANVEL.

**D**E hoc nihil aliud memorabile proditum, nisi  
quòd septem filios mares reliquit, quorum Io-  
annes natu maximus morienti succeſſit.

IOANNES.

**A**vidus hic concordiae, pacisq; principibus cū  
sacris, tum profanis Gracie totius comita-  
tus Italiam petiit: Eugenijq; autoritatem secutus Flo-  
rentino concilio interfuit: paceq; ac concordia per-  
petua (ut sperabatur) inita, mox domum reuersus nō  
diu superuixit, Iosippo etiam patriarcha Florentiae  
defuncto.

CONSTANTINVS.

Horret

**H**orret animus tanta clavis recordatione, & luctu adhuc tanq; in novo malo mens refugit. Vrbem totius Orientis amplissimam, in qua Christiana pietas millesimum ac centesimum supra nonagesimum Constatiniopolis a primum annum floruerat; ubi tot principes Christiani Turcis cani, tanta religio, tot diuorum templo, tot reliquie conserua. ditae erant, paucis diebus q; oppugnari coepit, ab inumanissimis, ac nefarijs Turcis capti fuisse: in qua nulli scelerum facies defuerint: non dignitatis, non sexus, non etatis habita ratio: supra cedibus, cedes stupris additae; ipsa diuorum templo diruta: ipsa ossa Martyrum canibus, subibusq; obiecta. Constantinus imperator dum ad portam trepidus se recipit, fugientium trepidatione oppressus obijicit: cuius caput hostis ad ludibrium pilo affixum totis castris gestauerit: redemptor ipse Christus (pro pudore & dedecus nobis aeternum) iterum cruci affixus, luto limoq; uexatus est: eaq; omnia representata, quae in illi iudeorum gens olim impia patrabant. Elogium inde additum crucis: Hic est Christianorum Deus. triduum ciuitas uexata, atq; ad arbitrii impotestissimi uictoris direpta: inde quicquid regij sanguinis mares, foeminaeq; illustres superfuere, aut inter epulas prae grauante uino Othoni mani iussu foedie iugulantur, aut uictoris libidini (q; grauius morte fuerat) reseruantur. Incidit autem clavis haec in anno salutis millesimum CCCCLIII. quarto Cal.

Cal. lunias: qui dies funestissimus, ac religiosissimus esse nobis semper debeat. Qua in re subeat ea repudatio, à Constantino magno Helenæ filio constructa urbem esse, Romæ semper emulam, sub Constantino, qui eiusdem nominis matrem haberet captam, Turcicū iugō ad hanc diē subditam: cū Nicolaus pontifex Romanæ præcesset ecclesiæ, Fridericus Germanus imperaret: nostri interim Veneti cum classem ductu Iacobi Lauretani emisissent ad subitæ oppugnationis nunciam, hostis Turcæ celeritate præueri nullam opem lapsis iam rebus afferre potuerunt. Regnatum à Paleologis annos ferè ducentos.

## DE BYZANTIO.

**F**Verit & hoc institutæ rei cōsequens, ut qui Byzantium primi cōdiderint, que ue urbis tam celebris incrementa à prima eius origine ad ætatem nostram fuerint, & quaria fortuna, perstringam: nam si castelli unius originem diligentius perscrutari non incepum ducitur, cui, queso, in gratu esse posse, urbis tam uictu, tam ampliæ, in qua imperij Romani maiestas qualiscunq; tot annos uiguerit, ortum, casumq; percepisse? Byzantium primò in angustissimo Euro-  
pe, Asiacq; Euripo posuere Lacedæmonij Pausania quoddam, duce, Lygos antea dictum: quod uariante deinde sive Byzantia, dū incerti iuris possesso adhuc esset, Athstantinopolis, Spartaniq; id sibi certatim uendicatibus,  
tandem

tandem libertatem sibi asserere: & dum neuter populus tanquam propriam urbē auxilijs iuuat, liberae conditionis esse cœpit: per quæ tempora res eorum admodum floruit agro fœcundo, feracijs in primis, & mari admodum opportuno, unde uectigalia, uecti galibusq; eorum augendis pisciū uis ingens ad eorū littora deferebatur. Quām cōmodè posita esset, oraculi Pythij ambages arguit: nam consulentibus Græcis ubi urbem conderēt, data fors exciderat, sedem oppido cœrorū aduersam quererent, Chalcedonios nūi cœci. haud dubiè innuens, qui priores in ea loca profecti Megaris, peiora legerant. Pisces etenim ex Euxino in Propontidē illati, ubi ad Chalcedonense littus incurrere, territi candicante saxo, quòd à uado ad summa pelluceat, aduersum Byzantijs promontorium ex ea cauſa Chrysoceras appellatū, præcipiti petūt agmine. Itaq; omnis captura Byzantijs, Chalcedonenisibus penuria: primum cū Romanis fœdus aduersum Pseudophilippum à Byzantijs initū est: inde semper forti, fidelijs opera eorum multis, uarijsq; bellis usi sumus, quoisq; Seuerus imperator occupatam à Pescennio Nigro, eo occiso funditus euertit, & in uici formam redigit, agro etiam eorū Perinthijs adiudi- catus. Fuit autem urbis murus Milesto quadrato lapi- de, adeò indiscreta laterum structura, ut una propè muri compages spectantibus uideri posset. In huius ruinis

ruinis Constantinus magnus aquilæ præpeti uolatu ex Chalcedone illuc regulares funiculos, terq; ac qua ter inferentis admonitus, urbem ampliore mœnium circuitu construxit, Romæ operibus & nomine etiā emulam futuram, quam cum uarijs signis, ac monimentis undiq; conquisitis ornasset, ante V. duū Maij Deiparæ uirgini dicauit. Quin & Valens mathematische prædictionis consultissimus, annos DC. XCVI. potituram rerum prædixit, quæ tamen adhuc duret: portus duos habet, quos ductis utrinq; catenis & turribus erectis munitissimos reddidit. illud est, quod Dion grauis in primis autor memorabile prodiderit. septem turres eo artificio fuisse constructas, ut si quis uni inclamasset, lapidem ue immisisset, sonitus ex omnibus redderetur equalis, ita ut ex singulis proprius exaudiretur. Et cum multa ad ornatum nouæ urbis conquisisset, Cochlidem insuper Porphyretici lapidis ex urbe Roma aduehendam curauit, cui statuam suam, & clavum unum Christi redemptoris cruciatu insignem super imposuit, quæ Alexio Commodo uiuente corruerit: Palladium etiam ex illo comportatum. Princes à Constantino cum diuersa fortuna, tū rerū uario successu multi præfuerē: magna tamen eorum pars ambitiosi, crudeles, guari, & obscurissimi: quodq; grauissimum sit, ab orthodoxa fide aut abhorrentes, aut etiam infesti: donec urbs ter-

ræmotibus, incendijs, seditionibus intestinis obnoxia, quibus alimentū leuitas gēti insita præberet: adeo etiam quòd principū instabilitate in nefariæ gentis Turcicæ libidinē deciderit: in qua non sine nostro graui dedecore septuagesimam propè annum dominati fuerint. Maomethes primus, inde Pazaites eius filius, & qui nunc omnibus formidulosus Syria, Aegyptioq; imminet, Selinus. Et quoniam Turcarū proximè meminimus, quinam illi fuerint, unde ue terrarū profecti, per quos duces eorum aucta res sit brevibus explicadum est mihi. Tum quia res memorabilis admodum sit, tum quòd diuersa quedam, quam nostri hactenus tradiderūt, & (ni fallor) similiora ueri proditurus sim: cùm alijs præter eorum nuda nomina, uix quicquam memoria dignum in multis retulerint.

## DE ORIGINE TVRCARVM.

**T**urcae, partim Caspio mari proximi, qui Asia, Orientemq; uastarunt, Caucasiq; ueteres incole, qua parte ad Arctum uergit, partim inter Scythicas gētes relati, & Hunnici sanguinis, qui postea Vngari dicti sunt existimati: quod ex Græcis autoribus, & Latinis aliquot colligas: ueteres scriptores (quod sciam) de his nihil præter Melam & Plin. ille præter nudum Turcarum nomen in Scythicæ relatione nihil aliud addidit. Siue igitur ueteres illi à Melis relati, siue recens aliquod genus hominum, eoru

cē que

te qui Caspij maris accolæ fuere, tenuissima memoran-  
tur primordia, & ut ceterarw gentium planè ob-  
scura: nam LXX. ab hinc annum natali solo relicto,  
in Persidem atq; Asiam minorem primum impetum  
fecere: sed nec unus dux illis, nec certum imperium: ua-  
gi, dispalatiq; quóue cuiq; fors affuit, latrocinantes  
magis q; belligerantes prouincias uastarunt. prima si-  
pendia Basilio Macedone imperante sub Muchune-  
tio Saracenorum principe meruere: quorum præci-  
pue opera Babylonios, Indosq; ille uicerit. Sed pepe-  
rit his uirtus inuidiam, prohibitiq; ad sua redire, im-  
dignitati primò secedunt: inde uno, alteroq; prælio  
Tangrolipicis Mucaletij ducis eorum auspicijs felici-  
ter aduersus Saracenos gesto, tandem egregie iun-  
cunt, Muchumetumq; profligatum acie obruncant:  
ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is alijs  
Turcis ad se accersitis Cucumetium nepotem aduer-  
sus Arabas, cum paratiissimis copijs misit: qui prælio  
ab his uictus, cum à patruo per summum contem-  
ptum exceptus esset, eius iracundiam ueritus, ab illo  
defecit, & Pasara Chorasniorum urbe munitissima  
se includit. Tangrolipix interea prælio genti su-  
ne stiissimo in Mediae finibus cum Romanis Asani al-  
terius nepotis ductu conflixit. Quo uicto & caso,  
indignatus ille Alcimum fratrem iterum in Roma-  
nos misit: qui egregiam uictoriā captio Leparite

## 396 IO. BAPT. EGNAT II

Græcorum duce, & cæsis etiam Iberis Romanorum  
socijs retulit; sed cum Liparitem primum, mox &  
dona à principe missa facile Turca reddidisset, nec  
præstarent Romani, quod promiserat, ingentibus co-  
pijs accinctus Tangrolipix Asiam omnem ad Euxi-  
num mare aut uastat, aut subigit. Variatum deinde in  
gente factionibus exortis ad Gallorum usq; memor-  
abilem illam expeditionē, qua fracti ab his sæpius,  
magna etiam imperij parte mulctati sunt, donec O-  
thomanus ab hoc Selino, qui rerum nunc potitur, no-  
nus ueterem gentis gloriam asserere ausus ast. Is ob-  
scuro loco & parentibus agrarijs natus, uirtute ac  
calliditate singulari, conflata per seditionem manu,  
circumferre Turcica coepit arma, in sue gentis homi-  
nes non minus infestus quam in nostros. Paulatimq;  
rerum successu, & imperandi libidine inflammatu,  
castellum quod Othomanum de suo nomine appella-  
ri uoluit, cepit: distabat id à Prusia Trapezuntem  
uersus itinere dierum sex. agabatur autem annus sa-  
lutis nostræ M.CCC. preeratq; in Barionæ sede Boni  
facius octauis, circa exitum Michaelis Palæologi, &  
Andronici nepotis initia: quo tempore Germanis Al-  
bertus imperabat. Othomanus igitur his auspicijs in-  
tra octo & uiginti annos, quibus rerum potitus es,  
incredibile dictu quantum rem suam auxerit: magna  
certe Bithyniæ partem breui subegit, oppidaq;  
Euxi-

Euxinum posita non pauca cepit: qui moriens O= chani filio regnum per manus tradidit. Sub quo dissi dio Græcorū Cantacuzeno & Palæologi: contendē= tibus, adcō res Othomanica creuit, ut Prusiam Græ= cis ademerit: & dum Cantacuzeno magis quam Pa= lœologis faveat, primus in Europam ab eo accersitus traicit. Caramanum etiam, perfidia in illum usus, cuius filiam in uxorem duxerat, intersecto eius filio adolescenti, nō exigua principatus parte exuit. Quē post uigesimum secundum imperij annum Ammu= ratem filium heredem reliquit. Is autam, pater= namq; felicitatem emulatus, in Caramanum auum ma= ternum non minus infestus, quam pater fuit: mox ab imperatore Paleologo solicitatus in Bulgaros, fra= tremiq; Peleponnesi principem, qui bellum mouerāt. XII Turcarum milibus in Europam transportatis egregiè Bulgaros, hostesq; imperatoris ultus est. hinc Europeis opibus ille est us, dum ulcisci imperij ho= stes simulatus Genuensium nauibus, Hellespontum ad Abydum superat, Callipolimq; cum alijs oppidis occupat. Is fuit annus millestimus trecentesimus sexa= gesimustertius, nec multò post Seruiā, Bulgariaq; ingressus, cum Hadrianopolim prius occupasset, oc= currentes sibi cum paratiissimis copijs hostes ingenti= cēde profligat. Lazaro Seruiæ principe' in acie cæ= so, sed mox à seruo in domini vindictam Ammura-

tes occiditur, cum annos uiginti tres imperii tenuisset, Pazaite & Solimano liberis superstitibus. Pazaites imperfecto per insidias fratre, patris mortem ulturus, M. Graieicum Bulgarorum principem prælio superat, et interficit: inde magnam Bulgariae partem sibi subiecit: nec tanto rerum successu quietus, Bosinam, Croatiam, ulterioresque Illyrici partes uastat, Constantinopolim annos octo obsidet: facileque obseSAM iam tunc expugnasset, nisi Vngarorum, Galorumque aduentum formidans, quibus ad Nicopolim occurrit, memorabili prælio nostros superasset, cæsis captisque magna ex parte Gallorum ducibus, in primis Ioanne Burgundiæ duce, & Sigismundo Vngariæ tunc rege tumultuaria pugna fuso: qui facile in hostis potestate uenisset, nisi Venetæ clasius occursum securatus è fuga esset: cui tu Thomas Mocenicus, qui postea Michaëli Steno succedit, præerat. inde ad Constantinopolitanam obſidionē ſpei plenus regrediens, cum eā biennio obſeSAM tenuisset, trepidissimis Tamerlanis Scythæ nuntijs, qui infinita penè multitudine Turcarum terras inuaderat, excitus, illi ad Stellam montem congrederitur, in Gallatia, Bithynia, & confinio. Cæſa sunt in ea acie Turcarum ducenta millia, uiuus ipſe Pazaites in hostis potestatem uenit, qui aureis catenis caueauimus, ad mortem usque à Tamerlane circumductus est. Incidit hæc clades. Turcis in

annum

annum millesimum trecentesimum nonagesimum se-  
ptimum salutis nostræ, Bonifacio nono pontifice Ro-  
mano. Huic duo fuere liberi mares, Orchanes, quæ m  
alij Calepinum, & Maomethes, quem nostri Moyen  
magni, uti video, errore dicunt. Orchane intra bien-  
num per insidias à fratre int̄fecto, Maomethes rē  
Turcarum solus occupat: qui Turcia aucto regno A-  
sia recepto per Tamberlanis interitum, Bulgaros et  
Vlechos prædis & cladibus affixit, Hadrianopolis  
recepta regiam ibi sedem statuit, ipse post annos se-  
ptem & decem mortuo. Ammurate filius regnum  
init, Ioanne XXIII. Bartone sedem tenente, hic ma-  
iorum gloriam non solum æquauit, uerum etiam lon-  
gè superauit. Prima illi expeditio in Mysorum prin-  
cipem, qui nunc Seruij dicuntur, fuit: de quibus Sco-  
piam & Nouemontum post longam obsidionem ce-  
pit. Duos Reguli filios captos oculis priuat: poste à  
sororem eorum uxorem sibi adsciscit, restitutoq; per  
has nuptias Nouemonto in Vlachos, Vngaros, &  
Germanos incursionses graues facit: inde in Epciu-  
rum deflectens Croiam expugnat. Venetorum ar-  
ma in se solicitat: Theffalonica his per uim adem-  
pta. interim una ab Vngaris ingenti pugna uictus:  
inducijsq; ab his decennalibus impetratis, iterum  
ab ijsdem Vngaris præter iurisurandi fidem Euge-  
nij pontificis hortatu bello petitur, quos duplici

prælio ducum nostrorum discordia & ambitione ui-  
cit: in altero ad Varnam Ladislaus rex Polonie, &  
Iulianus Cardinalis obière: in altero ad Basila uictus  
Hunniades, cæsiq; principes Vngari non pauci præ-  
ter gregarium militem, qui ad internectionem occu-  
buit. Nec moratus Peloponnesum fratum discordia  
iniuriae obnoxiam in ditionem rededit, exinde repu-  
tans animo regni molestias, & fortunæ inconstantia-  
m animo agitans, in Asiam abiit solitariam uitam  
secutus: & Maomethi filio cura rerum demandata  
sub Calibasse tutela, quam non multò pòst repetere  
suasus (ætas enim filij non satis idonea rei admini-  
strandæ adhuc uidebatur) Epeirum ingenti exerci-  
ture repetit (defecrat enim ferè uniuersa Scanderbec-  
chio autore) & Croia frustra per aliquot menses op-  
pugnata, moerore animi obiit, cum annos quatuor &  
XXX. regnasset. Longum esset, si Maomethis eius  
filij res gestas explicem: quæ quantæ fuerint, nouim  
Othomanicæ familiæ magni cognomentū ab eo qua-  
suum, & in heredes iam transmissū arguat. Is enim  
duo Christianorum imperia, Constantinopolitanum,  
& Trapezuntium subuertit, regna duodecim nobis  
ademit, ducentas urbes Christianam pictatem secu-  
tas cepit: & in his Chalcidem insulā armis, & Scho-  
dram ditione Venetis extorsit, bellum maritimum.  
per multos annos cum maioribus nostris gesit. Ca-  
phane

R.O. PRINCIPVM LIB. II. 601  
pham Ponticam urbem expugnauit. Rhodum insulā  
frustra tentauit. Italię capto Hydrunte arma intulit,  
et dum plusquam ciuile bellum in maiorem filiu[m] me-  
ditatur, cum annum unum et XXX. praeſulſet, obijt  
anno salutis nostrae M.CCCC. octogesimoprimo, V.  
No. Maij. Quo mortuo res Turcica ciuilibus armis  
aliquandiu iactata est. Sed minore fratre uicto et fu-  
gato, solus imperium Pazaites obtinuit, qui Vlachia  
castella quædam cum expugnasset, inde in Sultaniam  
Aegyptium copias eduxit, à quo ſepe uicti Turci  
tandem pacem, ſcedusq[ue] iniérere. Ceterum cum otij ap-  
petentior à natura uideretur, nec tamen per ſuorum  
hominum ferociam feriari à re bellica poſſet, paratis  
terra mariq[ue] ingentibus copijs, anno M.CCCC. no-  
nagesimo secundo, Carauniorum montium accolas  
inuadit: tractumq[ue] illum liberarum ſemper ad eam  
diem gentium Turcicæ ſeruituti subdit: inde septi-  
mo p[ro]p[ter] anno terribili clavis apparatu Venetis Me-  
thonem, Naupactumq[ue], mox inde et Dyrrachium  
admit. Quin et in Foroiuliensi agro trepidatum,  
Turcis ſœdè terram eam magno noſtrorum danno  
uuantibus. Nec multò p[ro]p[ter] pax ſecuta Andreæ Grit-  
ti patritij clarissimi opera, post quim non diu ſuper  
ſtes Pazaites fuit regno à Scelino filio pulsus, qui re-  
rum nunc potitur, ex quo annos fermè XX. im-  
peritasset.